



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

4 Vtrum habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

artifex in quantum artifex; sed ex secundo culpatur homo, in quantum homo. Sed in moralibus, ubi attenditur ordo rationis ad finem communem humanam vitam, semper peccatum, & malum attenditur per deviationem ab ordine rationis ad finem communem humanam vitam; & ideo culpatur ex tali peccato homo & in quantum est homo, & in quantum moralis est. Unde Philosophus dicit in 6. Ethic. * qd in arte uolens peccans est eligibilior, circa prudentiam autem minus: sicut & in uirtutibus moralibus, quarum prudentia est directiua.

AD TERTIUM dicendum, quod illa infirmitas, quae est in malis uoluntarijs, subiacet potestati hominis: & ideo nec tollit, nec diminuit rationem culpae.

¶ Super. Quaestio. 21. Art. tertium.

ARTICVLVS III.

Utrum actus humanus in quantum est bonus, uel malus, habeat rationem meriti, uel demeriti.

IN calce ultimi articuli eiusdem quaestio. aduerte illa ultima uerba. Quantum est ex ipsa ratione actus: dupliciter enim omnis alicuius actus humanus potest habere rationem meritorij, uel demeritorij. Primo ex ipsa ratione actus: secundo ex statu personae agentis. Et hoc quidem secundo modo non omnis actus humanus est meritorius, uel demeritorius, sed existens in statu gratiae. Primo uero modo omnis actus humanus est meritorius, uel demeritorius: & ut praeseruet se auctor, addidit, quantum est ex ipsa ratione actus. Et hoc intellige loquendo de merito uiae aeternae, seu simpliciter apud Deum. Latissime, n. loquedo de merito, omnis actus bonus retributione, & malus punitione exposcit. Et quoniam difficultas illa, an omnis actus existens in gratia sit meritorius, uel demeritorius respectu uiae aeternae, ex praeecepto charitatis pendet: & inferius de his erit sermo in quaest. centesima: idcirco illuc usque differantur soluenda argumenta Scoti in quolibetis, quaestio. 17. & in secundo sententiarum, dist. 41. & Durandi in 40. dist. 2.

¶ In reliquis huius quaestio. nihil occurrit scribendum.

¶ In reliquis huius quaestio. nihil occurrit scribendum.

¶ In reliquis huius quaestio. nihil occurrit scribendum.

¶ In reliquis huius quaestio. nihil occurrit scribendum.

¶ In reliquis huius quaestio. nihil occurrit scribendum.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod actus humanus non habeat rationem meriti, & demeriti propter suam bonitatem, uel malitiam. Meritum enim & demeritum dicitur per ordinem ad retributionem, quae locum solum habet in his, quae ad alterum sunt: sed non omnes actus humani boni, uel mali sunt ad alterum, sed quidam sunt ad seipsum. ergo non omnis actus humanus bonus, uel malus, habet rationem meriti, uel demeriti.

¶ 2. Praet. Nullus meretur penam, uel praemium ex hoc, quod disponit ut uult de eo, cuius est dominus: sicut si homo destruat rem suam, non punitur, sicut si destrueret rem alterius: sed homo est dominus suorum actuum. ergo ex hoc quod bene, uel male disponit de suo actu, non meretur poenam, uel praemium.

¶ 3. Praet. Ex hoc quod aliquis sibi ipsi acquirit bonum, non meretur ut ei bene fiat ab alio: & eadem ratio est de malis. Sed ipse actus bonus est quoddam bonum, & perfectio agentis: actus autem inordinatus est quoddam malum ipsius. non ergo ex hoc, quod homo facit malum actum, uel bonum, meretur, uel demeretur.

SED CONTRA est, quod dicitur Isaia 3. Dicite iusto, quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedit. Vnde impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.

RESPON. Dicendum, quod meritum, & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quae fit secundum iustitiam. Retributio autem secundum iustitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum, uel nocumetum alterius. Est autem considerandum, quod unusquisque in aliqua societate uiuens, est aliquo modo pars, & membrum totius societatis. Quicumque ergo agit

aliquid in bonum, uel malum alieni in societate existentis, hoc redundat in totam societatem: sicut qui laedit manum, per consequens laedit hominem. Cum ergo aliquis agit in bonum, uel malum alterius singularis personae, cadit ibi dupliciter ratio meriti, uel demeriti. Vno modo, secundum quod debetur ei retributio a singulari persona, quae uiuat, uel offendit: alio modo secundum quod debetur ei retributio a toto collegio. Quando uero aliquis ordinat actum suum directe in bonum, uel malum totius collegij, debetur ei retributio, primo quidem, & principaliter a toto collegio: secundario uero ab omnibus collegij partibus. Cum uero aliquis agit quod in bonum proprium, uel malum uergit, debetur ei retributio, in quantum est hoc uergit in eum, & in quantum ipse est pars collegij: licet non debetur ei retributio, in quantum est bonum, uel malum singularis personae, quae est eadem agenti, nisi forte a seipso in quantum similitudine, prout est iustitia hominis ad seipsum. Sic igitur patet, quod actus bonus, uel malus habet rationem laudabilis, uel culpabilis in quantum est in potestate uoluntatis: rationem uero retributionis, & peccati in quantum ordinat ad finem: rationem uero meriti, & demeriti secundum retributionem iustitiae ad alterum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quandoque actus hominis boni, uel mali, etiam non ordinantur ad bonum, uel malum alterius singularis personae: tamen ordinantur ad bonum, uel ad malum alterius, quod est ipsa communitas.

AD SECUNDUM dicendum, quod homo, qui habet dominium sui actus, ipse est in quantum est alterius, scilicet communitatis, cuius est pars, meretur aliquid, uel demeretur, in quantum actus suos bene, uel male disponit: sicut etiam si alia sua, de quibus communitati seruire debet, bene, uel male disponat.

AD TERTIUM dicendum, quod hoc ipsum bonum, uel malum quod aliquis sibi facit per suum actum, redundat in communitatem, ut dictum est. In corpore.

ARTICVLVS IIII.

Utrum actus humanus in quantum est bonus, uel malus, habeat rationem meriti, uel demeriti apud Deum.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod actus hominis bonus, uel malus, non habeat rationem meriti, uel demeriti per comparationem ad Deum: quia, ut dictum est, meritum & demeritum importat ordinem ad recompensationem profectus, uel damni ad alterum illati: sed bonus actus hominis, uel malus non credit in aliquem profectum, uel damnum ipsius Dei. dicitur enim Iob. 35. Si peccaueris, quid ei noceris? porro si iuste egeris, quid donabis ei? ergo actus hominis bonus, uel malus non habet rationem meriti, uel demeriti apud Deum.

¶ 2. Praet. Instrumentum nihil meretur, uel demeretur apud eum qui utitur instrumeto, quia tota actio instrumenti est utentis ipso: sed homo in agendo est instrumentum diuinae uirtutis principaliter ipsum mouentis: unde dicitur Isa. 10. Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? ubi manifeste hominem agentem comparat instrumento. ergo homo bene agendo, uel male non meretur, uel demeretur apud Deum.

¶ 3. Praet. Actus humanus habet rationem meriti, uel demeriti, in quantum ordinat ad alterum: sed non omnis actus humanus ordinat ad Deum, ergo non omnes actus boni, uel mali habent rationem meriti, uel demeriti apud Deum. SED CONTRA est, quod dicitur Eccl. vii. Cum laetatur

Cap. 5. circa finem, tomo 5.

a. dist. 40. art. 5. Et 4. dist. 16. q. 3. art. 1. q. 7. ad primam. Et moral. q. 2. art. 2. ad secretum.

Art. 3.

q. 19.

q. 102.

Art. 3.

q. 102.

In corpore.

Et Mich. scilicet.

Artic. 3.

ita quae sunt, adducet Dens in iudiciu suae bonum, siue malum: sed iudicium importat retributione, respectu cuius meritum, vel demeritum dicitur. ergo omnis actus hominis bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum.

Respondeo. Dicendum, quod sicut dictum est, actus alicuius hominis habet rationem meriti, vel demeriti, secundum quod ordinatur ad alterum, vel ratione eius, vel ratione cuius: utroque autem modo actus nostri boni, uel mali habent rationem meriti, vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipsius, in quantum est ultimus hominis finis: est autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur, ut supra habitum est. unde qui facit actum malum non referibilem in Deum, non seruat honorem Dei, qui ultimo fini debetur. Ex parte vero totius civitatis universi, quia in qualibet civitate ille, qui regit civitatem, praecipue habet curam boni civis: unde ad eum pertinet retribuere pro his, quae bene, uel male fiunt in civitate. Est autem Deus gubernator, & rector totius universi, sicut in primo habitum est: & specialiter rationabilium creaturarum. Unde manifestum est, quod actus humani habent rationem meriti, uel demeriti per comparationem ad ipsum: alioquin sequeretur, quod Deus non haberet curam de actibus humanis.

Ad primum ergo dicendum, quod per actum hominis, Deo secundum se nihil potest accrescere, uel deperire: sed tamen homo, quantum in se est, aliquid subtrahit Deo, uel ei exhibet, cum seruat, uel non seruat ordinem, quem Deus instituit.

Ad secundum dicendum, quod homo sic movetur a Deo, ut instrumentum, quod tamen non excludit quin moveat seipsum per liberum arbitrium, ut ex supradictis patet: & ideo per suum actum meretur, uel demeretur apud Deum.

Ad tertium dicendum, quod homo non ordinatur ad civitatem politicam secundum se totum, & secundum omnia sua, & ideo non oportet, quod quilibet actus eius sit meritorius, uel demeritorius per ordinem ad communitatem politicam. Sed totum quod homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum: & ideo omnis actus hominis bonus, uel malus habet rationem meriti, uel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus.

QVAESTIO XXII.

De subiecto passionum animae, in tres articulos diuisa.

Super Quaestio vigesima secunda articulum primum.

Circa rationem passionis magis proprie assignanda in articulo 22. quod dubium occurrit: quia cum omnis passio animae, de qua est sermo, sit cum aliqua dispositione intransmutabilem corporali (quoniam oportet motum cordis a naturali suo motu aliquoties recedere) sequitur, quod omnis passio est de transmutatione in deterius, & nulla sit in melius.

Ad hoc dicitur, quod absolute loquendo, concedendum est, quod omnis passio animae est cum aliqua pre-

ost hoc considerandum est de passionibus animae. Et primo, in generali. Secundo, in speciali.

In generali autem quatuor occurrunt circa eas consideranda. Primo, quidem de subiecto earum. Secundo, de differentia earum. Tertio, de comparatione earum ad invicem. Quarto, de malitia, & bonitate ipsarum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo, Vtrum aliqua passio sit in anima. Secundo, Vtrum magis in parte appetitiva, quam in apprehensiva. Tertio, Vtrum magis sit in appetitu sensitivo, quam intellectivo, qui dicitur voluntas.

ARTICULUS PRIMVS. Vtrum aliqua passio sit in anima.

Ad primum sic proceditur. Vtrum nulla passio sit in anima. Pati. n. est proprium materiae: sed anima non est composita ex materia, & forma, ut in primo habitum est. ergo nulla passio est in anima.

Primo. Passio est motus, ut dicitur in 3. Physicorum. sed anima non movetur, ut probatur in 1. de Anima. ergo passio non est in anima.

Secundo. Passio est via in corruptionem, nam omnis passio magis facta, abijcit a substantia, ut dicitur in libro Topicorum, sed anima est incorruptibilis. ergo nulla passio est in anima.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Romanos 7. Cum essemus in carne, passionibus peccatorum, quae per legem erant, operabatur in membris nostris, peccata autem sunt propria in anima. ergo, & passionibus, quae sunt peccatorum, sunt in anima.

Respondeo. Dicendum, quod pati dicitur tripliciter. Vno modo committere, secundum quod omne recipere est pati, et si nihil abijciatur a re, sicut si dicatur aerem pati, quoniam illuminatur, hoc autem magis est perfici, quam pati. Alio modo dicitur proprie pati, quoniam aliquid recipitur cum abiectione, sed hoc contingit dupliciter. Quandoque, non abijciatur id, quod non est conueniens rei: sicut cum corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem aegritudine abiecta. Alio modo, quoniam econuerso contingit, sicut aegrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas a sanitate abiecta, & hic est proprius modus passionis. Nam pati dicitur ex eo, quod aliquid trahitur ad agentem, quod autem recedit ab eo, quod est sibi conueniens, maxime versus ad aliud trahi. Et sicut in 1. de generatione dicitur, quod quoniam ex ignobiliore generatur nobilior, est generatio simpliciter, & corruptio secundum quid; econuerso autem, quoniam ex nobiliori ignobilior generatur. Et his tribus modis contingit esse in anima passionem: nam secundum receptionem tamen dicitur, quod sentire, & intelligere est quoddam pati. Passio autem cum abiectione non est, nisi secundum transmutationem corporalem; unde passio proprie dicta, non potest competere animae nisi per accidens, in quantum est compositum patitur. Sed in hoc est diuersitas; nam quoniam homini transmutatio fit in deterius, magis proprie habet rationem passionis, quam

naturali mutatione, quia cordis motus intenditur, aut remittitur a suo naturali motu: & ex hoc illa opera anime, quae uocantur eius passionibus, habet rationem & nomen passionis. Verum quia inter praeternaturales mutationes datur latitudo, & minus mala respectu, magis mala habet rationem melioris: ideo passiones illae, quae ad peius declinant, magis proprie passiones dicuntur. Declinat autem in peius mutationes illae, quae sunt materia passionum consistentium in fuga, seu retractione, ut timor & tristitia, quae illae, quae sunt materia passionum consistentium in extensione, seu prosecutione, ut amor & laetitia: quia uita humana consistit in vitali extensione cordis ad totum corpus. Et propterea in littera dicitur, quod tristitia habet magis rationem passionis, quam laetitia. Illa enim praeter naturalitatem solam intentionis motus, habet: illa ultra praeter naturalitatem remissionis motus, habet motum contrarium vitali extensioni cordis ad corporis partes. Ex eadem quoque radice, scilicet maioris recessus a naturali passione, quaecumque intentiones habent magis rationem passionis, quam remissione: motus enim corporalis maior ibi interuenit. Haec autem quae dicimus, notanter diximus absolute dici: quoniam si esset sermo non absolute, sed in ordine ad hunc melancholicum, uel sic quomodolibet dispositum, nihil prohibere videtur, quod transmutatio oppositae passionis, puta, laetitia, sit naturalis simpliciter etiam illi: praeternaturalis autem huic, sic, nunc, inuenio. Alteri enim extremo non solum extremum, sed medium opponitur: ut dicitur in 5. Physicorum. & motus cordis qui huic, nunc, sic &c. est intensior, simpliciter etiam ipsi bene disposito potest esse naturalis: ut

diff. 19. q. 2. art. 1. Et uel 1. q. 26. art. 1. & 2. cor.

q. 75. ar. 5.

ex. 19. 26. 26. & seq.

lib. 6. cap. 22. inter primo & medium.

Tex. 18. 20. mo 2.